

## AUSONE

## EPISTULAE (1594 vers)

AVSONIVS AD PATREM DE SVSCEPTO FILIO  
 EP\_1 v.1 Credideram nil posse meis affectibus addi,  
 2 quo, venerande pater, diligerere magis.  
 3 Accessit (grates superis medioque nepoti,  
 4 bina dedit nostris qui juga nominibus)  
 5 accessit titulus, tua quo reverentia crescat,  
 6 quo doceam natum, quid sit amare patrem.  
 7 Ipse nepos te fecit avum : mihi filius idem  
 8 et tibi ego ; hoc nato nos sumus ambo patres.  
 9 Nec jam sola mihi pietas mea suadet amorem ;  
 10 nomine te gemini jam genitoris amo.  
 11 Quippe tibi aequatus videor, quia parvulus isto  
 12 nomine honoratum me quoque nobilitat ;  
 13 paene aetas quia nostra eadem. Nam subparis aevi  
 14 sum tibi ego et possum fratris habere vicem,  
 15 nec tantum nostris spatium interponitur annis,  
 16 quanta solent alios tempora dividere.  
 17 Vidi ego natales fratrum distare tot annis,  
 18 quot nostros : aevum nomina non onerant.  
 19 Pulchra juventa tibi senium sic jungit, ut aevum  
 20 quod prius est maneat, quod modo ut incipiat.  
 21 Et placuisse reor geminis aetatibus, ut se  
 22 non festinato tempore utraque daret,  
 23 leniter haec flueret, haec non properata veniret,  
 24 maturam frugem flore manente ferens.  
 25 Annos me nescire tuos, pater optime, testor  
 26 totque putare tuos, quot reor esse meos.  
 27 Nesciat hos natus, numeret properantior heres,  
 28 testamenta magis quam pia vota fovens  
 29 exemploque docens pravo juvenescere natos,  
 30 ut nolint patres se quoque habere senes.  
 31 Verum ego primaevo genitus genitore fatebor  
 32 subparis haec aevi tempora grata mihi.  
 33 Debeo quod natus, suadet pia cura nepotis  
 34 addendum patri, quo veneremur avum.  
 35 Tu quoque, mi genitor, geminata vocabula gaude,  
 36 nati primaevi nomine factus avus.  
 37 Exiguum, quod avus : faveant pia numina divum  
 38 deque nepote suo fiat avus proavus.  
 39 Largius et poterunt producere fata senectam :  
 40 set rata vota reor, quae moderata, magis.

PATER AD FILIVM  
 EP\_2 v.1 Debeo et hanc nostris, fili dulcissime, curis  
 2 historiam : quamquam titulo non digna sereno  
 3 anxia maestarum fuerit querimonia rerum.  
 4 Jam super egeidae stagnantia terga Mosellae  
 5 protulerat te, nate, ratis maestique parentis  
 6 oscula et amplexus discreverat invidus amnis.  
 7 Solus ego et quamvis coetu celebratus amico

8       solus eram, profugaeque dabam pia vota carinae,  
 9       solus adhuc te, nate, videns ; celerisque remulci  
 10       culpabam properos adverso flumine cursus.  
 11       Quis fuit ille dies ? Non annus longior ille est,  
 12       Attica quem docti collegit cura Metonis.  
 13       Desertus vacuis solisque exerceor oris.  
 14       Nunc ego pubentes salicum deverbero frondes,  
 15       gramineos nunc frango toros viridesque per ulvas  
 16       lubrica substratis vestigia libro lapillis.  
 17       Sic lux prima abiit, sic altera meta diei,  
 18       sic geminas alterna rotat vertigo tenebras,  
 19       sic alias ; totusque mihi sic annus abibit,  
 20       restituunt donec tua me tibi fata parentem.  
 21       Hac ego condicione licet vel morte paciscar,  
 22       dum decores suprema patris tu, nate, superstes.

AVSONIVS HESPERIO S.D.

EP\_3   v.1   Qualis Picenae populator turdus olivae  
           2       clunes opimat cereas  
           3       vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,  
           4       pendetque nexus retibus,  
           5       quae vespertinis fluitant nebulosa sub horis  
           6       vel mane tenta roscido :  
           7       tales hibernis ad te de saepibus, ipsos  
           8       capi volentes, misimus  
           9       bis denos. Tot enim crepero sub lucis eoae  
 10       praeceps volatus intulit.  
 11       Tum, quas vicinae suggessit praeda lacunae,  
 12       anates maritas junximus,  
 13       remipedes, lato populantes caerula rostro  
 14       et crure rubras Punico,  
 15       iricolor vario pinxit quas pluma colore  
 16       collum columbis aemulas.  
 17       Defrudata meae non sunt haec fercula mensae :  
 18       vescente te fruimur magis.

AVSONIVS THEONI

EP\_4   v.1   Ausonius, cujus ferulam nunc sceptram verentur,  
           2       paganum Medulis jubeo salvere Theonem.  
           3       Quid geris extremis positus telluris in oris,  
           4       cultor harenarum vates, cui litus arandum  
           5       Oceani finem juxta solemque cadentem,  
           6       vilis harundineis cohibet quem pergula tectis  
           7       et tingit piceo lacrimosa colonica fumo ?  
           8       Quid rerum Musaeque gerunt et cantor Apollo ?  
           9       Musae non Helicone satae nec fonte caballi,  
 10       set quae facundo de pectore Clementini  
 11       inspirant vacuos aliena mente poetas ?  
 12       Jure quidem : nam quis malit sua carmina dici,  
 13       qui te securo possit proscindere risu ?  
 14       Haec quoque ne nostrum possint urgere pudorem,  
 15       tu recita, et vere poterunt tua dicta videri.  
 16       Quam tamen exerces Medulorum in litore vitam ?  
 17       Mercatusne agitas, levioere nomismate captans,  
 18       insanis quod mox pretiis gravis auctio vendat -  
 19       albentis sevi globulos et pingua cerae

20 pondera Naryciamque picem scissamque papyrum  
 21 fumantesque olidum, paganica lumina, taedas ?  
 22 An majora gerens tota regione vagantes  
 23 persequeris fures, qui te postrema timentes  
 24 in partem praedamque vocent ? Tu mitis et osor  
 25 sanguinis humani condonas crimina nummis  
 26 erroremque vocas pretiumque imponis abactis  
 27 bubus et in partem scelerum de iudice transis ?  
 28 An cum fratre vagos dumeta per avia cervos  
 29 circumdas maculis et multa indagine pinnae ?  
 30 Aut spumantis apri cursum clamoribus urges  
 31 subsidisque fero ? Moneo tamen, usque recuses  
 32 stringere fulmineo venabula comminus hosti.  
 33 Exemplum de fratre time, qui veste reducta  
 34 ostentat foedas prope turpia membra lacunas  
 35 perfossasque nates vicino podice nudat.  
 36 Inde ostentator volitat, mirentur ut ipsum  
 37 Gedippa Ursinusque suus prolesque Jovini  
 38 Taurinusque, ipsum priscis heroibus aequans,  
 39 qualis in Olenio victor Calydonius apro  
 40 aut Erymantheo pubes fuit Attica monstro.  
 41 Set tu parce feris venatibus et fuge nota  
 42 crimina silvarum, ne sis Cinyreia proles  
 43 accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.  
 44 Sic certe crinem flavus niveusque lacertos  
 45 caesariem rutilam per candida colla refundis,  
 46 pectore sic tenero, plana sic junceus alvo,  
 47 per teretes feminum gyros surasque nitentes  
 48 descendis, talos a vertice pulcher ad imos,  
 49 Qualis floricomam quondam populator in Aetna  
 50 virgineas inter choreas Deoida raptam  
 51 sustulit emersus Stygiis fornacibus Orcus.  
 52 An, quia venatus ob tanta pericula vitas,  
 53 piscandi traheris studio ? Nam tota supellex  
 54 Dumnitoni tales solita est ostendere gazas,  
 55 nodosas vestes animantum Nerinorum  
 56 et jacula et fundas et nomina vilica lini  
 57 colaque et insutos terrenis vermibus hamos.  
 58 His opibus confise tumes ? Domus omnis abundat  
 59 litoreis dives spoliis. Referuntur ab unda  
 60 corroco, letalis trygon mollesque platessae,  
 61 urentes thynni et male tecti spina ligati  
 62 nec duraturi post bina trihoriam corvi.  
 63 An te carminibus juvat incestare canoras  
 64 Mnemosynes natas, aut tris aut octo sorores ?  
 65 Et quoniam huc ventum, si vis agnoscere, quid sit  
 66 inter doctrinam deridendasque camenas,  
 67 accipe congestas, mysteria frivola, nugas,  
 68 quas tamen explicitis nequeas deprendere chartis,  
 69 scillite decies si cor purgeris aceto  
 70 Anticyraeve bibas, Samii Lucumonis acumen.

## AD EVNDEM

EP\_4B v.1 Aut adsit interpres tuus,  
 2 aenigmatum qui cognitor  
 3 fuit meorum, cum tibi  
 4 Cadmi nigellas filias,

5 Melonis albam paginam  
 6 notasque furvae sepiae  
 7 Gnidiosque nodos prodidit.  
 8 Nunc adsit et certe, modo  
 9 praesul creatus litteris,  
 10 enucleabit protinus,  
 11 quod militantes scribimus.

## AD EVNDEM

EP\_4C v.1 Notos fingo tibi poeta versus,  
 2 quos scis hendecasyllabos vocari,  
 3 set nescis modulis tribus moveri.  
 4 Istos conposuit Phalaecus olim,  
 5 qui penthemimeren habent priorem  
 6 et post semipedem duos iambos.  
 7 Sunt quos hexametri creant revolsi,  
 8 ut penthemimeres prior locetur,  
 9 tum quod bucolice tome relinquit.  
 10 Sunt et quos generat puella Sappho,  
 11 quos primus regit hippius secundus,  
 12 ut cludat choriambon antibacchus.  
 13 Set jam non poteris, Theon, doceri,  
 14 nec fas est mihi, regio magistro,  
 15 plebeiam numeros docere pulpam.  
 16 Verum protinus ede, quod requiro.  
 17 Nil quaero, nisi quod libris tenetur  
 18 et quod non opicae tegunt papyri.  
 19 Quas si solveris, o poeta, nugas,  
 20 totam trado tibi simul Vacunam,  
 21 nec jam post metues ubique dictum :  
 22 "Hic est ille Theon poeta falsus,  
 23 bonorum mala carminum Laverna".

## AUSONIUS THEONI

EP\_5 v.1 Ausonius salve caro mihi dico Theoni,  
 2 versibus expediens quod volo quodve queror.  
 3 Tertia fissipedes renovavit Luna juvencas,  
 4 ut fugitas nostram, dulcis amice, domum.  
 5 Nonaginta dies sine te, carissime, traxi.  
 6 Huc adde aestivos : hoc mihi paene duplum est.  
 7 Vis novies denos dicam deciesque novenos  
 8 isse dies ? Anni portio quarta abiit.  
 9 Sexaginta horas super et duo milia centum  
 10 te sine consumpsi, quo sine et hora gravis.  
 11 Milia bis nongenta jubet dimensio legum  
 12 adnumerata reos per tot obire dies.  
 13 Jam potui Romam pedes ire pedesque reverti,  
 14 ex quo te dirimunt milia pauca mihi.  
 15 Scirpea Dumnitoni tanti est habitatio vati ?  
 16 Pauliacos tanti non mihi villa foret.  
 17 An quia per tabulam in qua Medica pugna notata est  
 18 debita summa mihi est, ne repetamus, abes ?  
 19 Bis septem rutilos, regale nomisma, Philippos,  
 20 ne tanti fuerint, perdere malo, Theon,  
 21 implicitum quam te nostris interne medullis  
 22 defore tam longi temporis in spatio.

23 Ergo aut praedictos jam nunc rescribe Darios  
 24 et redime, ut mora sit libera desidiaie,  
 25 aut alios a me totidem dabo, dum modo cari  
 26 conspicer ora viri, pauperis usque licet.  
 27 Puppe citus propera sinuosaque lintea veli  
 28 pande. Medullini te feret aura noti  
 29 expositum subter paradas lectoque jacentem,  
 30 corporis ut tanti non moveatur onus.  
 31 Unus Dumnitoni te litore perferet aestus  
 32 Condatem ad portum, si modo deproperes.  
 33 Inque vicem veli, quotiens tua flamina cessant,  
 34 remipedem jubeas protinus ire ratem.  
 35 Invenies praesto subjuncta petorrita mulis :  
 36 villa Lucani mox potieris aco.  
 37 Resciso disce en componere nomine versum :  
 38 Lucili vatis sic imitator eris.

AVSONIVS CONSVL VATEM RESALVTO THEONEM

EP\_6 v.1 Aurea mala, Theon, set plumbea carmina mittis ;  
 2 unius massae quis putet has species ?  
 3 Unum nomen utrisque, set est discrimen utrisque :  
 4 poma ut mala voces, carmina vero mala.

AVSONIVS THEONI, CVM EI TRIGINTA OSTREA, GRANDIA QVIDEM, SET TAM PAVCA MISISSET

EP\_7 v.1 Ostrea Baianis certantia, quae Medulorum  
 2 dulcibus in stagnis reflui maris aestus opimat,  
 3 accepi, dilecte Theon, numerabile munus.  
 4 Verum quot fuerint, subjecta monosticha signant :  
 5 quot ter luctatus cum pollice computat index ;  
 6 Geryones quot erant, decies si multiplicentur ;  
 7 ter quot erant Phrygii numerata decennia belli,  
 8 aut iter ut solidi mensis tenet ignicomus Sol ;  
 9 cornibus a primis quot habet vaga Cynthia noctes ;  
 10 singula percurrit Titan quot signa diebus ;  
 11 quotque annis sublimis agit sua saecula Phaenon ;  
 12 quot numero annorum Vestalis virgo ministrat  
 13 Dardaniusque nepos regno quot protulit annos ;  
 14 Priamidae quot erant, si bis deni retrahantur ;  
 15 bisque viros numeres, qui fata Amphraysia servant ;  
 16 quot genuit fetus Albana sub ilicibus sus  
 17 et quot sunt asses, ubi nonaginta trientes,  
 18 vel quot habet junctos Vasatica raeda caballos.

EODEM

EP\_7B v.1 Quod si figuras fabulis adumbratas  
 2 numerumque doctis involutum ambagibus  
 3 ignorat alto mens obesa viscere,  
 4 numerare saltim more vulgi ut noveris,  
 5 in se retortas explicabo summulas.  
 6 Ter denas puto quinquiesve senas  
 7 vel bis quinque, dehinc decem decemque  
 8 vel senas quater et bis adde ternas ;  
 9 Septenis quater adde et unum et unum,  
 10 duc binas decies semelque denas,  
 11 aut ter quattuor adde bis novenis ;

12 octonas quater, hinc duae recedant ;  
 13 binas ter decies, semel quaternas ;  
 14 et sex adde novem vel octo septem,  
 15 aut septem geminis bis octo junge,  
 16 aut, ne sim tibi pluribus molestus,  
 17 triginta numero fuere cunctae.  
 18 Junctus limicolis musculus ostreis  
 19 primo composuit fercula prandio,  
 20 gratus deliciis nobilium cibus  
 21 et sumpti modicus pauperibus focus.  
 22 Non hic navifrago quaeritur aequore,  
 23 ut crescat pretium grande periculis ;  
 24 set primore vado post refugum mare  
 25 algoso legitur litore concolor.  
 26 Nam testae duplicis conditur in specu,  
 27 quae ferventis aquae fota vaporibus  
 28 carnem lacteoli visceris indicat.  
 29 Set damnosa nimis panditur area.  
 30 Fac campum replices, Musa, papyrium.  
 31 Nec jam fissipedis per calami vias  
 32 grassetur Gnidae sulcus harundinis,  
 33 pingens aridulae subdita paginae  
 34 Cadmi filioli atricoloribus.  
 35 Aut cunctis pariter versibus oblinat  
 36 furvam lacticolor sphongia sepiam.  
 37 Parcamus vitio Dumnitonae domus,  
 38 ne sit charta mihi carior ostreis.

AVSONIVS AXIO PAVLO RHETORI SAL.

EP\_8 v.1 Tandem eluctati retinacula blanda morarum  
 2 Burdigalae molles liquimus inlecebras.  
 3 Santonicamque urbem vicino accessimus agro ;  
 4 quod tibi si gratum est, optime Paule, proba.  
 5 Cornipedes rapiant inposta petorrita mulae,  
 6 vel cisio trijugi, si placet, insilias,  
 7 vel celerem mannum vel ruptum terga veraedum  
 8 conscendas, propere dum modo jam venias ;  
 9 instantis revocant quia nos sollemnia Paschae  
 10 libera nec nobis est mora desidia.  
 11 Perfer in excursu vel terjuga milia epodon  
 12 vel falsas lites, quas schola vestra serit.  
 13 Nobiscum invenies nullas, quia liquimus istic  
 14 nugarum veteres cum sale relliquias.

AVSONIVS PAVLO

EP\_9 v.1 Ostrea nobilium cenis sumptuque nepotum  
 2 cognita diversoque maris deprensa profundo,  
 3 aut refugis nudata vadis aut scrupaea subter  
 4 antra et muriceis scopulorum mersa lacunis,  
 5 quae viridis muscus, quae dedecor alga recondit,  
 6 quae testis concreta suis ceu saxa cohaerent,  
 7 quae mutata loco, pingui mox consita limo,  
 8 nutrit secretus conclusae uliginis umor,  
 9 enumerare jubes, vetus o mihi Paule sodalis,  
 10 adsuefacte meis joculari carmine nugis.  
 11 Adgrediar ; quamvis curam non ista senilem

12 sollicitent frugique viro dignanda putentur.  
 13 Nam mihi non Saliare epulum, non aura dapalis,  
 14 qualem Penelopae nebulonum mensa procorum  
 15 Alcinoique habuit nitidae cutis uncta juvenus.  
 16 Enumerabo tamen famam testesque secutus  
 17 pro studiis hominum semper diversa probantum.  
 18 Set mihi prae cunctis ditissima, quae Medulorum  
 19 educat oceanus, quae Burdigalensia nomen  
 20 usque ad Caesareas tulit admiratio mensas,  
 21 non laudata minus nostri quam gloria vini.  
 22 Haec inter cunctas palmam meruere priorem,  
 23 omnibus ex longo cedentibus : ista et opimi  
 24 visceris et nivei dulcique tenerrima suco  
 25 miscent aequoreum tenui sale tincta saporem.  
 26 Proxima sint quamvis, set longe proxima multo  
 27 ex intervallo, quae Massiliensia, portum  
 28 quae Narbo ad Veneris nutrit ; cultuque carentia  
 29 Hellespontiaci quae protegit aequor Abydi ;  
 30 vel quae Baianis pendent fluitantia palis ;  
 31 Santonico quae tecta salo ; quae nota Genonis ;  
 32 aut Eborae mixtus pelago quae protegit amnis,  
 33 ut multo jaceant algarum obducta recessu ;  
 34 aspera quae testis sed dulcia, farris opimi.  
 35 Sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti,  
 36 et quae Pictonici legit accola litoris, et quae  
 37 mira Caledoniis nonnumquam detegit aestus.  
 38 Accedunt quae fama recens Byzantia subter  
 39 litora et insana generata Propontidis acta  
 40 Promoti celebrata ducis de nomine laudat.  
 41 Haec tibi non vates, non historicus neque toto  
 42 orbe vagus conviva loquor, set tradita multis,  
 43 ut solitum, quotiens dextrae invitatio mensae  
 44 sollicitat lenem comi sermone Lyaeum.  
 45 Haec non per vulgum mihi cognita perque popinas,  
 46 aut parasitorum collegia Plautinorum,  
 47 set festos quia saepe dies partim ipse meorum  
 48 excolui inque vicem conviva vocatus adivi,  
 49 natalis si forte fuit sollempnis amico  
 50 conjugioque dapes aut sacra repotia patrum,  
 51 audivi meminique bonos laudare frequentes.

INVITATIO AD PAVLVM

EP\_10 v.1 Si qua fides falsis umquam est adhibenda poetis  
 2 nec plasma semper adlinunt,  
 3 Paule, Camenarum celeberrime Castaliarum  
 4 alumne quondam, nunc pater,  
 5 aut avus aut proavis antiquior, ut fuit olim  
 6 Tartesiorum regulus ;  
 7 intemerata tibi maneant promissa memento.  
 8 Phoebus jubet verum loqui ;  
 9 etsi Pierias patitur lirare sorores,  
 10 numquam ipse torquet aulaka.  
 11 Te quoque ne pigeat consponsi foederis : et jam  
 12 citus veni remo aut rota,  
 13 aequoris undosi qua multiplicata recursu  
 14 Garumna pontum provocat,  
 15 aut iteratarum qua glarea trita viarum

16 fert militarem ad Blaviam.  
 17 Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus  
 18 avemus agrum visere.  
 19 Nam populi coetus et compita sordida rixis  
 20 fastidientes cernimus  
 21 angustas fervere vias et congrege volgo  
 22 nomen plateas perdere.  
 23 Turbida congestis referitur vocibus echo :  
 24 "Tene, feri, duc, da, cave !"  
 25 sus lutulenta fugit, rabidus canis impete saevo  
 26 et impares plaustro boves.  
 27 Nec prodest penetrare domus et operta subire :  
 28 per tecta clamores meant.  
 29 Haec et quae possunt placidos offendere mores,  
 30 cogunt relinqui moenia,  
 31 dulcia secreti repetantur ut otia ruris,  
 32 nugis amica ac seriis ;  
 33 tempora disponas ubi tu tua jusque tuum sit,  
 34 ut nil agas vel quod voles.  
 35 Ad quae si properas, tota cum merce tuarum  
 36 veni Camenarum citus.  
 37 Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,  
 38 socci et cothurni musicam  
 39 carpentis impone tuis : nam tota supellex  
 40 vatium piorum chartea est.  
 41 Nobiscum invenies kat'enantia, si libet uti  
 42 non Poena, sed Graeca fide.

RESCRIPTVM PAVLO SVO

EP\_11 v.1 Vinum cum bijugo parabo plaustro  
 2 primo tempore Santonos vehendum,  
 3 ovum tu quoque passeris marini,  
 4 quod nunc promus ait procul relictum  
 5 in fundo patriae Bigerritanae.

AYSONIOS PAULOI

EP\_12 v.1 Helladikes metochon Mouses Latiaequae Camenae,  
 2 Axion Ausonios sermone adludo bilingui,  
 3 Musae, quid facimus ? Ti Kenaisin eph'elpisin autos  
 4 ludimus aphantodiasin en hemati geraskontes ?  
 5 Santonikois Campoisin, Hopoi kryos axenos estin,  
 6 erramus Gelidotromeroi Kai frigidopoetae,  
 7 Pieridon teneroplokamon therapontes inertes.  
 8 Panta de Echei pagetos te pedum Kai Krousos odonton,  
 9 thalporos quia nulla Phokou Chionodei Chorei,  
 10 et duplicant frigus psychra carmina metioontes.  
 11 Archomenos de ara meni Neoi Ianou te Calendais  
 12 primitias Pauloi nostrae pempsonen Aoides.  
 13 Mnemosynes Kredemnokomou polycantica tekna,  
 14 ennea verbosae Krinnostephanoi te puellae,  
 15 Enth' age Moi polyrisa hepe, Skourodea molpen,  
 16 frontibus Hymeterais pterinon praeferte triumphum.  
 17 Hymas gar kaleo Kainos Dionysopoietes :  
 18 Pauloi Epharmosaites memigmenobarbaron Oiden.  
 19 Ou gar Moi themis estin in hac regione menonti  
 20 Axion ab nostris epideuea Eine Kamenais.  
 21 Keinos Emoi panton metochos, qui seria nostra,



22 qui joca pantodape novit tractare Palaistrei.  
 23 Kai nyn sepositus Monachoi eni rure Krebennou,  
 24 Astaphyloi eni Choroi, habet thymalgea leschen,  
 25 Oute Philois Etarois nec mensae accommodus ulli,  
 26 hotti Athelxinoois aeger symmempheto Mousais.  
 27 Jam satis, o phile Paule, ponou Apepeirethemem  
 28 en te Foroi Causais te Kai Ingrataisi Kathedrais  
 29 Rhetorikois Loudoisi Kai epleto Ouden Oneiar.  
 30 Alla ede Keinon men apas juvenalios idros  
 31 Ekkechytai meleon, tromere de paresti senectus  
 32 Kai minus in sumptum dapanas levis arca ministrat.  
 33 Ou gar Echei apalamnos aner Kouaistodea lucron  
 34 Kleinon Oute geron Kryseen ergazet Amoiben.  
 35 Aequanimus quod si fueris et panta vel ainein  
 36 malueris, lethe Ponou Essetai ede Peneies.  
 37 Keino de pancalliston, ut omnibus undique Musis  
 38 syn Phialeique Oinoique, eteon synopaoni Mouson,  
 39 Thymou Akechemenou solacia blanda requiras.  
 40 Hic erit et fructus Demetros Aglaokarpou,  
 41 entha syes Thaleroy polychandea pocula te entha  
 42 kirnan, Ei ke Theloy, nektar Vinoio Bonoio.  
 43 Ambo igitur nostrae parathelxomen otia vitae,

AYSONIOS PAULOI

EP\_13 v.1 Romaion hypatos Aretalogoi ede Poietei,  
 2 Ausonios Pauloi : speude Philous Ideein.

AUSONIUS PAULO

EP\_14 v.1 Aequaream liqui te propter, amice, Garumnam,  
 2 te propter campos incolos Santonicos.  
 3 Congressus igitur nostros pete ; si tibi cura,  
 4 quae mihi, conspectu jam potiere meo.  
 5 Sed tantum adpropera, quantum pote corpore et aevo ;  
 6 ut salvum videam, sat cito te video.  
 7 Si post infaustas vigor integratus habenas  
 8 et rediit membris jam sua mobilitas,  
 9 si riguam laetis recolis Pimpleida Musis,  
 10 jam vates et non flagrifer Automedon,  
 11 pelle soporiferi senium nubemque veterni  
 12 atque alacri mediam carpe vigore viam.  
 13 Sed cisium aut pigrum cautus conscende veraedum :  
 14 non tibi sit raedae, non amor acris equi.  
 15 Cantheris moneo male nota petorrita vites  
 16 nec celeres mulas ipse Metiscus agas.  
 17 Sic tibi sint Musae faciles, meditatio prompta  
 18 et memor, et liquidi mel fluat eloquii :  
 19 sic, qui venalis tam longa aetate Crebennus  
 20 non habet emptorem, sit tibi pro pretio.  
 21 Attamen ut citius venias leviusque vehare,  
 22 historiam, mimos, carmina linque domi.  
 23 Grande onus in musis : tot saecula condita chartis,  
 24 quae sua vix tolerant tempora, nostra gravant.  
 25 Nobiscum invenies epeon polymorphea plethyn,  
 26 grammatikon te plokas Kai Logodaidalien,  
 27 daktylon Heroion Kai Aoidopolon choriambon,  
 28 syn Thalies Komoi syrmata Terpsichores,

29 sotadikon te Kinaidon, ionikon amphoterothen,  
 30 rythmon Pindarikon ennomon euepien,  
 31 Eilipoden skazonta Kai Ou skazonta trimetron,  
 32 okto Toukydidou, ennea de Herodotou :  
 33 rhetorikon ti theama, sophon erikydea phyla,  
 34 panta mal hossa Etheleis, Kai pleon, Ei ke Thelois.  
 35 Hoc tibi de nostris aspastikon offero libris.  
 36 Vale. Valere si voles me, jam veni.

AVSONIVS TETRADIO SAL.  
 EP\_15 v.1 O qui venustos uberi facundia  
 2 sales opimas, Tetradi,  
 3 cavesque, ne sit tristis et dulci carens  
 4 amara concinnatio ;  
 5 qui felle carmen atque melle temperans  
 6 torpere musas non sinis  
 7 pariterque fucas quaeque gustu ignava sunt  
 8 et quae sapore tristia ;  
 9 rudes camenas qui Suessae praevenis  
 10 aevoque cedis, non stilo :  
 11 cur me propinquum Santonorum moenibus  
 12 declinas, ut Lucas boves  
 13 olim resumpto praeferoces proelio  
 14 fugit juvenus Romula ?  
 15 Non tigris ut te, non leonis impetu,  
 16 amore sed caro expeto.  
 17 Videre alumni gestio voltus mei  
 18 et indole optata frui.  
 19 Invitus olim devoravi absentiae  
 20 necessitatem pristinae,  
 21 quondam docendi munere adstrictum gravi  
 22 Iculisma cum te absconderet,  
 23 et invidebam devio ac solo loco  
 24 opus Camenarum tegi.  
 25 At - nunc frequentes atque claros nec procul  
 26 cum floreas inter viros  
 27 tibiue nostras ventus auras deferat  
 28 auresque sermo verberet -  
 29 cur me supino pectoris fastu tumens  
 30 spernis poetam consulem,  
 31 tuique amantem teque mirantem ac tua  
 32 desiderantem carmina  
 33 oblitus alto neglegis fastidio ?  
 34 Plectendus exemplo tuo,  
 35 ni stabilis aevo pectoris nostri fides  
 36 quamquam recusantes amet.  
 37 Vale. Valere si voles me, pervola  
 38 cum scrinio et Musis tuis.

AVSONIVS PROBO PRAEFECTO PRAETORIO SAL.  
 EP\_16 v.1 Perge, o libelle, Sirmium,  
 2 et dic ero meo ac tuo  
 3 have atque salve plurimum.  
 4 Quis iste sit nobis erus,  
 5 nescis, libelle ? An, cum scias,  
 6 libenter audis, quod juvat ?

7 Possem absolute dicere,  
8 sed dulcius circumloquar  
9 diuque fando perfruar.  
10 Hunc dico, qui lingua potens  
11 minorem Atridam praeterit  
12 orando pauca at musica ;  
13 qui grandines Ulixei  
14 et mel fluentem Nestora  
15 concinnat ore Tullii ;  
16 qui solus exceptis tribus  
17 eris erorum primus est  
18 praetorioque maximus.  
19 Dico hunc senati praesulem,  
20 praefectum eundem et consulem  
21 (nam consul aeternum cluet  
22 collega Augusti consulis),  
23 columen curulis Romulae  
24 primum in secundis fascibus ;  
25 nam primus e cunctis erit  
26 consul, secundus principii.  
27 Generi hic superstes aureo  
28 satorque prolis aureae  
29 convincit Ascraeum senem,  
30 non esse saeculum ferreum,  
31 qui vincit aevi injuriam  
32 stirpis novator Anniae  
33 paribusque comit infulis  
34 Aniciorum stemmata.  
35 Probum loquor : scis optime,  
36 quem nemo fando dixerit,  
37 qui non prius laudaverit.  
38 Perge, o libelle, et utere  
39 felicitate intermina.  
40 Quin et require, si sinet  
41 tenore fari obnoxio :  
42 "Age, vera proles Romuli,  
43 effare causam nominis.  
44 Utrumne mores hoc tui  
45 nomen dedere : an nomen hoc  
46 secuta morum regula ?  
47 An ille venturi sciens  
48 mundi supremus arbiter,  
49 qualem creavit moribus,  
50 jussit vocari nomine ? "  
51 Nomen datum praeconiis  
52 vitaeque testimonio.  
53 Libelle felix, quem sinu  
54 vir tantus evolvit suo  
55 nec occupari tempora  
56 grato queretur otio,  
57 quem melleae vocis modis  
58 leni aut susurro impertiet,  
59 cuique nigellae luminum  
60 vacare dignabunt corae,  
61 quem mente et aure consciis  
62 quibusdam omissis perleget.  
63 Quaecumque fortuna est tibi,  
64 perge, o libelle, et utere

65 felicitate intermina.  
 66 Dic me valere et vivere,  
 67 dic vivere ex voto pio,  
 68 sanctis precantem vocibus,  
 69 ut quem curulis proxima  
 70 collegio nati dedit,  
 71 hunc rursus Augustus prior  
 72 suis perennet fascibus,  
 73 Subnecte et illud leniter :  
 74 "Apologos en misit tibi  
 75 ab usque Rheni limite  
 76 Ausonius, nomen Italum,  
 77 praeceptor Augusti tui,  
 78 Aesopiam trimetrium,  
 79 quam vertit exili stilo  
 80 pedestre concinnans opus  
 81 fandi Titianus artifex ;  
 82 ut hinc avi ac patris decus,  
 83 mixto resurgens sanguine,  
 84 Probianoque atque Anicio,  
 85 ut quondam in Albae moenibus  
 86 supremus Aenea satus  
 87 Silvios Iulis miscuit,  
 88 sic iste, qui natus tibi,  
 89 flos flosculorum Romuli,  
 90 nutricis inter lemmata  
 91 lallique somniferos modos  
 92 suescat peritus fabulis  
 93 simul jocari et discere".  
 94 His adde votum, quod pio  
 95 concepimus rei deo :  
 96 "Ut genitor Augustus dedit  
 97 collegio nati Probum,  
 98 sic Gratianus hunc novum  
 99 stirpi futurae copulet".  
 100 Rata sunt futura, quae loquor.  
 101 Sic meritaque et fatum jubent.  
 102 Sed jam ut loquatur Julius,  
 103 fandi modum invita accipe  
 104 volucripes dimetria,  
 105 haveque dicto dic vale.

AVSONIVS SYMMACHO  
 [oratio soluta]

EP\_17

AD VRSVLVM GRAMMATICVM TREVERORVM CVI STRENAS KALENDIS IANVARIIS ...  
 EP\_18 v.1 Primus jucundi foret hic tibi fructus honoris,  
 2 Augustae faustum munus habere manus.  
 3 Proximus ex longo gradus est quaestoris amici  
 4 curam pro strenis excubuisse tuis.  
 5 Ergo interceptos, regale nomisma, Philippos  
 6 accipe tot numero, quot duo Geryones :  
 7 quot terni bijuges demptoque triente Camenae  
 8 quotque super terram sidera zodiaci ;  
 9 quot commissa viris Romana Albanaque fata  
 10 quotque doces horis quotque domi resides ;

11 ostia quot pro parte aperit stridentia circus  
 12 excepto, medium quod patet ad stadium ;  
 13 quot pedibus gradiuntur apes et versus Homeri  
 14 quotque horis pelagus profluit aut refluit ;  
 15 protulit in scaenam quot dramata fabellarum,  
 16 Arcadiae medio qui jacet in gremio,  
 17 vel quot juncturas geometrica forma favorum  
 18 conserit extremis omnibus et mediis ;  
 19 quot telios primus numerus solusque probatur,  
 20 quot par atque impar partibus aequiperat,  
 21 bis ternos et ter binos qui conserit unus,  
 22 qui solus totidem congeminatus habet ;  
 23 quot faciunt juncti subterque supraque locati ;  
 24 qui numerant Hyadas Pleiadasque simul.  
 25 [LACUNE]  
 26 Ursule collega nobilis Harmonio,  
 27 Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus et Asper,  
 28 quem sibi conferret Varro priorque Crates,  
 29 quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,  
 30 quique notas spuriiis versibus apposuit :  
 31 Cecropiae commune decus Latiaeque Camenae,  
 32 solus qui Chium miscet et Amineum.

AVSONIVS PONTIO PAVLINO FILIO CVM ILLE MISISSET POEMATIVM VERSIBVS PLVRIMIS

EP\_19 v.1 Condiderat jam Solis equos Tartesia Calpe  
 2 stridebatque freto Titanius ignis Hiberno :  
 3 jam succedentes quatibat Luna juvencas,  
 4 vinceret ut tenebras radiis velut aemula fratris :  
 5 jam volucres hominumque genus superabile curis  
 6 mulcebant placidi tranquilla oblivia somni ;  
 7 transierant Idus, medius suprema December  
 8 tempora venturo properabat jungere Jano ;  
 9 et nonas decimas ab se nox longa Kalendas  
 10 jugiter acciri celebranda ad festa jubebat.  
 11 Europamque Asiamque, duo vel maxima terrae  
 12 membra, quibus Libyam dubie Sallustius addit  
 13 Europae adjunctam, possit cum tertia dici,  
 14 regnatas multis, quos fama oblitterat et quos  
 15 barbara Romanae non tradunt nomina linguae,  
 16 Illibanum Numidamque Avelim Parthumque Vononem  
 17 et Caranum, Pellaea dedit qui nomina regum,  
 18 quique magos docuit mysteria vana Nechepsos,  
 19 et qui regnavit sine nomine moxque Sesostris....  
 20 audax Icaro qui fecit nomina ponto,

AVSONIVS PAVLINO

EP\_20 v.1 Paulino Ausonius : metrum sic suasit, ut esses  
 2 tu prior et nomen praegrederere meum,  
 3 quamquam et fastorum titulo prior et tua Romae  
 4 praecessit nostrum sella curulis ebur,  
 5 et, quae jamdudum tibi palma poetica pollet,  
 6 lemnisco ornata est, quo mea palma caret.  
 7 Longaevae tantum superamus honore senectae.  
 8 Quid refert ? Cornix non ideo ante cycnum ;  
 9 nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,  
 10 vincit centum oculos, regie pave, tuos.

11 Cedimus ingenio, quantum praecedimus aevo :  
 12 adsurgit Musae nostra Camena tuae.  
 13 Vive, vale et totidem venturos consere Janos,  
 14 quot tuus aut noster conseruere patres.

## AVSONIVS PAVLINO

EP\_21 v.1 [LACUNE]  
 2 [LACUNE]  
 3 Iambe Parthis et Cydonum spiculis,  
 4 iambe pinnis alitum velocior,  
 5 Padi ruentis impetu torrentior,  
 6 magna sonorae grandinis vi densior,  
 7 flammis corusci fulguris vibratior,  
 8 jam nunc per auras Persei talaribus  
 9 petasoque ditis Arcados vectus vola.  
 10 Si vera fama est, Hippocrene, quam pedis  
 11 pulsu citatam cornipes fudit fremens,  
 12 tu, fonte in ipso procreatus Pegasi,  
 13 primus novorum metra junxisti pedum  
 14 sanctisque Musis concinentibus novem,  
 15 caedem in draconis concitasti Delium.  
 16 Fer hanc salutem praepes et volucripes  
 17 Paulini ad usque moenia, Ebromagum loquor,  
 18 et protinus, jam si resumptis viribus  
 19 alacri refecti corporis motu viget,  
 20 salvere jussum mox reposce mutuuum.  
 21 Nihil moreris jamque, dum loquor, redi,  
 22 imitatus illum stirpis auctorem tuae,  
 23 triplici furentem qui Chimaeram incendio  
 24 supervolavit tutus igne proximo.  
 25 Dic : "te valere", dic : "salvere te jubet  
 26 amicus et vicinus et fautor tuus,  
 27 honoris auctor, altor ingeni tui".  
 28 Dic et magister, dic parens, dic omnia  
 29 blanda atque sancta caritatis nomina  
 30 haveque dicto dic vale actutum et redi.  
 31 Quod si rogabit, quid super scriptis novis  
 32 maturus aevi nec rudis dijudicem,  
 33 nescire dices, sed paratum jam fore  
 34 heroicorum versuum plenum essedum.  
 35 Cui subjugabo de molarum ambagibus,  
 36 qui machinali saxa volvunt pondere,  
 37 tripedes caballos terga ruptos verbere,  
 38 his ut vehantur tres sodales nuntii.  
 39 Fors et rogabit, quos sodales dixeris  
 40 simul venire ? Dic : "Trinodem dactylum  
 41 vidi paratum crucianti cantherio :  
 42 spondeus illi lentipes ibat comes,  
 43 paribus moratur qui locis cursum meum,  
 44 mihiq; similis, semper adversus tamen,  
 45 nec par nec impar, qui trochaeus dicitur".  
 46 Haec fare cursim nec moratus pervola,  
 47 aliquid reportans interim munusculi  
 48 de largitate musici promptarii.

## AVSONIVS PAVLINO

EP\_22 v.1 Philon, meis qui vilicatus praediis,  
 2 ut ipse vult, epitropos,  
 3 (nam gloriosum Graeculus nomen putat,  
 4 quod sermo fucat Dorius)  
 5 suis querellis adserit nostras preces,  
 6 quas ipse lentus prosequor.  
 7 Videbis ipsum, qualis adstet cominus,  
 8 imago fortunae suae,  
 9 canus, comosus, hispidus, trux, acrivox  
 10 Terentianus Phormio,  
 11 horrens capillis ut marinus asperis  
 12 echinus aut versus mei.  
 13 Hic saepe falsus messibus vegrandibus  
 14 nomen perosus vilici  
 15 semente sera sive multum praecoqua,  
 16 et siderali inscitia  
 17 caelum laccessens seque culpae subtrahens  
 18 reos peregit caelites.  
 19 Non cultor instans, non arator gnaruris,  
 20 promusque quam condus magis,  
 21 terram infidelem nec feracem criminans  
 22 negotiari maluit.  
 23 Mercator quo libet foro venalium,  
 24 mutator ad Graecam fidem,  
 25 sapiensque supra Graeciae septem viros  
 26 octavus accessit sophos.  
 27 Et nunc paravit triticum casco sale  
 28 novusque pollet emporus ;  
 29 adit inquilinos, rura, vicos, oppida  
 30 soli et sali commercio ;  
 31 acatis, phaselis, lintribus, stlattis, rate  
 32 Tarnim et Garumnam permeat  
 33 ac lucra damnis, damna mutans fraudibus  
 34 se ditat et me pauperat.  
 35 Is nunc ad usque vectus Ebromagum tuam  
 36 sedem locavit mercibus,  
 37 ut inde nauso devehatur triticum  
 38 nostros in usus, ut refert.  
 39 ut inde nauso devehatur triticum  
 40 nostros in usus, ut refert.  
 41 Hunc ergo paucis ne graveris hospitem  
 42 cura diebus ut meet,  
 43 adlatus ut mox navis auxilio tuae  
 44 ad usque portus oppidi  
 45 jam jam Perusina, jam Saguntina fame  
 46 Lucaniacum liberet.  
 47 Hoc si impetratum munus abs te accepero,  
 48 prior colere quam Ceres.  
 49 Triptolemon olim, sive Epimeniden vocant,  
 50 aut viliconum Buzygem,  
 51 tuo locabo postferendos numini,  
 52 nam munus hoc fiet tuum.

## AD EVNDEM PONTIVM PAVLINVM EPISTOLA SVBINDE SCRIPTA

EP\_23 v.1 Proxima quae nostrae fuerat querimonia chartae,  
 2 credideram quod te, Pauline, inflectere posset

3 eliceretque tuam blanda objurgatio vocem.  
 4 Set tu, juratis velut alta silentia sacris  
 5 devotus teneas, perstas in lege tacendi.  
 6 Non licet ? Anne pudet, si quis tibi jure paterno  
 7 vivat amicus adhuc maneatque obnoxius heres ?  
 8 Ignavos agitet talis timor, at tibi nullus  
 9 sit metus et morem missae acceptaeque salutis  
 10 audacter retine. Vel si tibi proditor instat,  
 11 aut quaesitoris gravior censura timetur,  
 12 occurre ingenio, quo saepe occulta teguntur.  
 13 Thraeicii quondam quam saeva licentia regis  
 14 fecerat elinguem, per licia texta querellas  
 15 edidit et tacitis mandavit crimina telis.  
 16 Et pudibunda suos malo commisit amores  
 17 virgo nec erubuit tacituro conscia pomo.  
 18 Depressis scrobibus vitium regale minister  
 19 credidit idque diu texit fidissima tellus :  
 20 inspirata dehinc vento cantavit harundo.  
 21 Lacte incide notas : aescens charta tenebit  
 22 semper inaspicias, prodentur scripta favillis.  
 23 Vel Lacedaemoniam scytalen imitare, libelli  
 24 segmina Pergamei tereti circumdata ligno  
 25 perpetuo inscribens versu, qui deinde solutus  
 26 non respondentem sparso dabit ordine formas,  
 27 donec consimilis ligni replicetur in orbem.  
 28 Innumeras possum celandi ostendere formas  
 29 et clandestinas veterum reserare loquellas ;  
 30 si prodi, Pauline, times nostraeque vereris  
 31 crimen amicitiae ; Tanaquil tua nesciat istud.  
 32 Tu contemne alios nec dedignare parentem  
 33 adfari verbis. Ego sum tuus altor et ille  
 34 praeceptor primus, veterum largitor honorum,  
 35 primus in Aonidum qui te collegia duxi.

CVM PONTIVS PAVLINVS IVNIOR QVARTIS IAM LITTERIS NON RESPONDISSET...  
 EP\_24 v.1 Quarta tibi haec notos detexit epistula questus,  
 2 Pauline, et blando residem sermone laccessit.  
 3 Officium set nulla pium mihi pagina reddit,  
 4 fausta salutigeris adscribens orsa libellis.  
 5 Unde istam meruit non felix charta repulsam,  
 6 spernit tam longo cessatio quam tua fastu ?  
 7 Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem  
 8 accipit et Salve mediis intervenit armis.  
 9 Respondent et saxa homini et percussus ab antris  
 10 sermo redit, redit et nemorum vocalis imago ;  
 11 litorei clamant scopuli, dant murmura rivi,  
 12 Hyblaeis apibus saepes depasta susurrat.  
 13 Est et harundineis modulatio musica ripis  
 14 cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis.  
 15 Incubuit foliis quotiens levis eurus acutis,  
 16 Dindyma Gargarico respondent cantica luco.  
 17 Nil mutum natura dedit. Non aeris ales  
 18 quadrupesve silent, habet et sua sibila serpens  
 19 et pecus aequoreum tenui vice vocis anhelat.  
 20 Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu  
 21 icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis ;  
 22 Isiacos agitant Mareotica sinistra tumultus,



23 nec Dodonaei cessat tinnitus aeni,  
 24 in numerum quotiens radiis ferientibus ictae  
 25 respondent dociles modulato verbere pelves.  
 26 Te velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis  
 27 aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,  
 28 obnixum, Pauline, taces. Agnosco pudorem,  
 29 quod vitium fovet ipsa suum cessatio jugis.  
 30 Dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum  
 31 non servare vices ; et amant longa otia culpam.  
 32 Quis prohibet Salve atque Vale brevitate parata  
 33 scribere felicesque notas mandare libellis ?  
 34 Non ego, longinquos ut texat pagina versus,  
 35 postulo multiplicique oneret sermone tabellas.  
 36 Una fuit tantum, qua respondere Lacones  
 37 littera, et irato regi placuere negantes.  
 38 Est etenim comis brevitatis : sic fama renatum  
 39 Pythagoram docuisse refert. Cum multa loquaces  
 40 ambiguis sererent verbis, contra omnia solum  
 41 Est, respondebat, vel Non. O certa loquendi  
 42 regula ! Nam brevius nihil est nec plenius istis,  
 43 quae firmata probant aut infirmata relidunt.  
 44 Nemo silens placuit, multi brevitate loquendi.  
 45 Verum ego quo stulte dudum spatiosa locutus  
 46 provehor ? Ut diversa sibi vicinaque culpa est !  
 47 Multa loquens et cuncta silens non ambo placemus  
 48 nec possum reticere, jugum quod libera numquam  
 49 fert pietas nec amat blandis postponere verum.  
 50 Vertisti, Pauline, tuos dulcissime mores ?  
 51 Vasconis hoc saltus et ninguida Pyrenaei  
 52 hospitia et nostri facit hoc oblivio caeli ?  
 53 Inprecer ex merito quid non tibi, Hiberia tellus !  
 54 Te populent Poeni, te perfidus Hannibal urat,  
 55 te belli sedem repetat Sertorius exul.  
 56 Ergo meum patriaeque decus columenque senati  
 57 Bilbilis aut haerens scopulis Calagurris habebit  
 58 aut quae dejectis juga per scruposa ruinis  
 59 arida torrentem Sicorim despectat Ilerda ?  
 60 Hic trabeam, Pauline, tuam Latiamque curulem  
 61 constituis patriosque istic sepelibus honores ?  
 62 Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit  
 63 impius ? Ut nullos hic vocem vertat in usus,  
 64 gaudia non illum vegetent, non dulcia vatum  
 65 carmina, non blandae modulatio flexa querellae,  
 66 non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,  
 67 non quae pastorum nemoralibus abdita lucis  
 68 solatur nostras echo resecuta loquellas.  
 69 Tristis, egens deserta colat tacitusque pererret  
 70 Alpibus convexa jugis, ceu dicitur olim  
 71 mentis inops coetus hominum et vestigia vitans  
 72 avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes.  
 73 Haec precor, hanc vocem, Boeotia numina Musae,  
 74 accipite et Latiis vatem revocate Camenis.

AD EVNDEM CVM ILLE AD ALIA MAGIS RESPONDERET NEQVE SE VENTVRVM POLLICERETVR  
 EP\_25 v.1 Discutimus, Pauline, jugum, quod nota fovebat  
 2 temperies, leve quod positu et venerabile junctis  
 3 tractabat paribus concordia mitis habenis ;

4 quod per tam longam seriem volventibus annis  
5 fabula non umquam, numquam querimonia movit,  
6 nulla querella loco pepulit, non ira nec error  
7 nec quae compositis malesuada et credula causis  
8 concinnat veri similes suspicio culpas ;  
9 tam placidum, tam mite jugum, quod utrique parentes  
10 ad senium nostri traxere ab origine vitae  
11 inpositumque piis heredibus usque manere  
12 optarunt, dum longa dies dissolveret aevum.  
13 Et mansit, dum laeta fides nec cura laborat  
14 officii servare vices, set sponte feruntur  
15 incustoditum sibi continuantia cursum.  
16 Hoc tam mite jugum docili cervice subirent  
17 Martis equi stabuloque feri Diomedis abacti  
18 et qui mutatis ignoti Solis habenis  
19 fulmineum Phaethonta Pado mersere jugales.  
20 Discutitur, Pauline, tamen : nec culpa duorum  
21 ista, set unius tantum tua. Namque ego semper  
22 contenta cervice feram. Consorte laborum  
23 destituor nec tam promptum gestata duobus  
24 unum deficiente pari perferre sodalem.  
25 Non animus viresque labant, sed iniqua ferendo  
26 condicio est oneri, cum pondus utrumque relicto  
27 ingruit acceduntque alienae pondera librae.  
28 Sic pars aegra hominis trahit ad contagia sanum  
29 corpus et exigui quamvis discrimine membri  
30 tota per innumeros artus conpago vacillat.  
31 Obruar usque tamen, veteris ne desit amici  
32 me durante fides memorique ut fixa sub aevo  
33 restituant profugum, solacia cassa, sodalem.  
34 Inpie, Pirithoo disjungere Thesea posses  
35 Euryalumque suo socium secernere Niso ;  
36 te suadente fugam Pylades liquisset Oresten  
37 nec custodisset Siculo vadimonia Damon.  
38 [Quantum oblectamen populi, quae vota bonorum  
39 sperato fraudata bono ! Gratantia cuncti  
40 verba loquebantur. Jam nomina nostra parabant  
41 inserere antiquis aevi melioris amicis.  
42 Cedebat Pylades, Phrygii quoque gloria Nisi  
43 jam minor et promissa obiens vadimonia Damon.  
44 Nos documenta magis felicia, qualia magnus  
45 Scipio longaevisque dedit sapientia Laeli ;  
46 nos studiis animisque isdem miracula cunctis,  
47 hoc majora, pares fuimus quod dispare in aevo.  
48 Ocius illa jugi fatalis solvere lora  
49 Pellaeum potuisse ducem reor, abdita opertis  
50 principiis et utroque caput celantia nodo.  
51 Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se  
52 inferret nimiis vindex Rhamnusia votis ;  
53 Arsacidae ut quondam regis non laeta triumphis  
54 grandia verba premens ultrix dea Medica belli  
55 sistere Cecropidum in terris monumenta paranti  
56 obstitit et Graio jam jam figenda tropaeo  
57 ultro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis.  
58 Quae tibi Romulidas proceres vexare libido est ?  
59 In Medos Arabasque tuos per nubila et atrum  
60 perge chaos : Romana procul tibi nomina sunt.  
61 Illic quaere alios oppugnatura sodales,

62 livor ubi iste tuus ferrugineumque venenum  
63 opportuna tuis inimicat pectora fucis.  
64 Paulinum Ausoniumque, viros quos sacra Quirini  
65 purpura et auratus trabeae velavit amictus,  
66 non decet insidiis peregrinae cedere divae.  
67 Quid queror eoque insector crimina monstri ?  
68 Occidui me ripa Tagi, me Punica laedit  
69 Barcino, me bimaribus juga ninguida Pyrenaei :  
70 moenibus et patrio forsitan quoque vestis et oris  
71 quemque suo longe dirimat provincia tractu  
72 trans montes solemque alium, trans flumina et urbes  
73 et quod terrarum caelique extenditur inter  
74 Emeritensis Anaë lataeque fluentia Garumnae.  
75 Quod si intervalli spatium tolerabile limes  
76 poneret exiguus (quamvis longa omnia credant,  
77 qui simul esse volunt), faceret tamen ipsa propinquos  
78 cura locos, medus jungens distantia verbis ;  
79 Santonus ut sibi Burdigalam, mox jungit Aginnum  
80 illa sibi et populos Aquitanica rura colentes ;  
81 utque duplex Arelas Alpinae tecta Viennae,  
82 Narbonemque pari spatio sibi conserit et mox  
83 quinquiplicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam.  
84 Hoc mihi si spatium vicinis moenibus esset,  
85 tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis  
86 adflaretque tuas aures nostrae aura loquellae.  
87 Nunc tibi trans Alpes et marmoream Pyrenen  
88 Caesareae Augustae domus est, Tyrrhenica propter  
89 Tarraco et ostrifero super addita Barcino ponto ;  
90 me juga Burdigala, trino me flumina coetu  
91 secernunt turbis popularibus otiaque inter  
92 vitiferi exercent colles laetumque colonis  
93 uber agri, tum prata virentia, tum nemus umbris  
94 mobilibus celebrique frequens ecclesia vico  
95 totque mea in Novaro sibi proxima praedia pago  
96 dispositis totum vicibus variata per aestus,  
97 egeidae ut tepeant hiemes rabidosque per aestus  
98 adspirent tenues frigus subtile Aquilones.  
99 Te sine set nullus grata vice provenit annus.  
100 Ver pluvium sine flore fugit, Canis aestifer ardet,  
101 nulla autumnales variat Pomona saporibus  
102 effusaque hiemem contristat Aquarius unda.  
103 Agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam ?  
104 Nam mihi certa fides nec commutabilis umquam  
105 Paulini illius veteris reverentia durat  
106 quaeque meoque tuoque fuit concordia patri.  
107 Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixei  
108 aut praeter dominum vibrabilis ornus Achilli,  
109 nos quoque tam longo Rhamnusia foedere solvet.  
110 Set cur tam maesto sero tristia carmina versu  
111 et non in meliora animus se vota propinquat ?  
112 Sit procul iste metus. Certa est fiducia nobis,  
113 si genitor natusque dei pia verba volentum  
114 accipiat, nostro reddi te posse precatu,  
115 ne sparsam raptamque domum lacerataque centum  
116 per dominos veteris Paulini regna fleamus  
117 teque vagum toto quam longa Hispania tractu,  
118 inmemorem veterum peregrinis fidere amicis.  
119 Accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,

120 votis ominibusque bonis precibusque vocatus,  
 121 adpropera, dum tu juvenis, dum nostra senectus  
 122 servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.  
 123 Ecquando iste meas inpellet nuntius aures ?  
 124 "Ecce tuus Paulinus adest. Jam ninguida linquit  
 125 oppida Hiberorum, Tarbellica jam tenet arva,  
 126 Ebromagi jam tecta subit, jam praedia fratris  
 127 vicina ingreditur, jam labitur amne secundo  
 128 jamque in conspectu est, jam prora obvertitur amni  
 129 ingressusque sui celebrata per ostia portus  
 130 totum occursantis populi praevertitur agmen :  
 131 et sua praeteriens jam jam tua limina pulsat."  
 132 Credimus ? An, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt ?

GENETHLIACOS AD AUSONIUM NEPOTEM

EP\_26 v.1 Carmina prima tibi cum jam puerilibus annis  
 2 traderet adsidui permulcens cura magistri  
 3 inbueretque novas aures sensusque sequaces,  
 4 ut respondendas docili quoque murmure voces  
 5 emendata rudi perferret lingua palato,  
 6 addidimus nil triste senes, ne cura monendi  
 7 laederet aut dulces gustus vitiaret amaris.  
 8 At modo, cum motu vigeas jam puberis aevi  
 9 fortiaque a teneris possis discernere et ipse  
 10 admonitor morumque tibi fandique videri,  
 11 accipe non praecepta equidem, set vota precantis  
 12 et gratantis avi festum ad sollemne nepotis.  
 13 Adnuit, ut reducem fatorum ab fine senectam  
 14 sospes agam festumque diem dubitataque cernam  
 15 sidera, deposito prope conclamatus in aevo.  
 16 Hoc, mellite nepos, duplicato faenore partum  
 17 natali accedente tuo, munusque salutis  
 18 plenius hoc nostrae, quod jam tibi puberis aevi  
 19 crescit honos juvenemque senex jam cerno nepotem.  
 20 Sexta tibi haec primo remeat trieteris ab anno,  
 21 Septembres notis referens natalibus idus.  
 22 Idus alma dies, geniis quoque culta deorum.  
 23 Sextiles Hecate Latonia vindicat idus,  
 24 Mercurius Maias, superiorum adjunctus honori.  
 25 Octobres olim genitus Maro dedicat idus :  
 26 Idus saepe colas bis senis mensibus omnes,  
 27 Ausonii quicumque mei celebraveris idus.  
 28 Vale nepos dulcissime.

LLBER PROTREPTICUS AD NEPOTEM : AUSONIUS HESPERIO FILIO

EP\_27 v.1 Sunt etiam musis sua ludicra : mixta camenis  
 2 otia sunt, mellite nepos ; nec semper acerbi  
 3 exercet pueros vox imperiosa magistri,  
 4 set requie studiique vices rata tempora servant.  
 5 Et satis est puero memori legisse libenter,  
 6 et cessare licet. Graio schola nomine dicta est,  
 7 justa laboriferis tribuantur ut otia musis.  
 8 Quo magis alternum certus succedere ludum  
 9 discere libens : longum delinitura laborem  
 10 intervalla damus. Studium puerile fatiscit,  
 11 laeta nisi austeris varientur, festa profestis.

12 Disce libens, tetrici nec praeceptoris habenas  
13 detestere, nepos. Numquam horrida forma magistri.  
14 Ille licet tristis senio nec voce serenus  
15 aspera contractae minitetur jurgia frontis,  
16 numquam inmanis erit, placida suetudine vultus  
17 qui semel inbuerit. Rugas nutricis amabit,  
18 qui refugit matrem. Pappos aviasque trementes  
19 anteferunt patribus seri, nova cura, nepotes.  
20 Sic neque Peliaden terrebat Chiron Achillem  
21 Thessalico permixtus equo nec pinifer Atlans  
22 Amphitryoniadem puerum, set blandus uterque  
23 mitibus adloquiis teneros mulcebat alumnos.  
24 Tu quoque ne metuas, quamvis schola verbere multo  
25 increpet et truculenta senex gerat ora magister :  
26 degeneres animos timor arguit. At tibi consta  
27 intrepidus, nec te clamor plagaeque sonantes,  
28 nec matutinis agitet formido sub horis.  
29 Quod sceptrum vibrat ferulae, quod multa supellex  
30 virgea, quod fallax scuticam praetexit aluta,  
31 quod fervent trepido subsellia vestra tumultu,  
32 pompa loci et vani fucatur scaena timoris.  
33 Haec olim genitorque tuus genetrixque secuti  
34 securam placido mihi permulseresenectam.  
35 Tu senium, quodcumque superlabentibus annis  
36 fata dabunt. Qui nomen avi geris, indole prima,  
37 prime nepos, vel re vel spe mihi porge fruendum.  
38 Nunc ego te puerum, mox in juvenalibus annis  
39 jamque virum cernam, si fors ita jusserit ; aut si  
40 invidia est, sperabo tamen, nec vota fatiscunt,  
41 ut patris utque mei non inmemor ardua semper  
42 praemia musarum cupias facundus et olim  
43 hac gradare via, qua nos praecessimus et cui  
44 proconsul genitor, praefectus avunculus instant.  
45 Perlege, quodcumque est memorabile. Prima monebo.  
46 Conditor Iliados et amabilis orsa Menandri  
47 evolvenda tibi : tu flexu et acumine vocis  
48 innumeros numeros doctis accentibus effer  
49 adfectusque inpone legens. Distinctio sensum  
50 auget et ignavis dant intervalla vigorem.  
51 Ecquando ista meae contingent dona senectae ?  
52 Quando oblita mihi tot carmina totque per aevum  
53 conexa historiae, soccos aulaeque regum  
54 et melicos lyricosque modos profando novabis  
55 obductosque seni facies puerascere sensus ?  
56 Te praeunte, nepos, modulata poemata Flacci  
57 altisonumque iterum fas est didicisse Maronem.  
58 Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti,  
59 comis et adstricto percurris pulpita socco,  
60 ad nova vix memorem diverbia coge senectam.  
61 Jam facinus, Catilina, tuum Lepidique tumultum,  
62 ab Lepido et Catulo jam res et tempora Romae  
63 orsus bis senos seriem conecto per annos.  
64 Jam lego civili mixtum mavorte duellum,  
65 movit quod socio Sertorius exul Hiberno.  
66 Nec rudis haec avus admoneo, set mille docendo  
67 ingenia expertus. Multos lactantibus annis  
68 ipse alvi gremioque fovens et murmura solvens  
69 eripui tenerum blandis nutricibus aevum.

70 Mox pueros molli monitu et formidine leni  
 71 pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,  
 72 carpturi dulcem fructum radicis amarae.  
 73 Idem vesticipes motu jam puberis aevi  
 74 ad mores artesque bonas fandique vigorem  
 75 produxi, quamquam imperium cervice negarent  
 76 ferre nec insertis praeberent ora lupatis.  
 77 Ardua temperies, dura experientia, rarus  
 78 eventus, longo rerum spectatus ab usu,  
 79 ut regat indocilem mitis censura juventam.  
 80 Quae tolerata mihi, donec jam aerumna juvaret  
 81 leniretque usu bona consuetudo laborem,  
 82 donec ad Augustae pia munera disciplinae  
 83 accirer varioque accingerer auctus honore,  
 84 aurea cum parere mihi palatia jussum.  
 85 Absistat Nemesis, ferat et fortuna jocantem :  
 86 praesedi imperio, dum praetextatus in ostro  
 87 et sceptro et solio praefert sibi jura magistri  
 88 majoresque putat nostros Augustus honores.  
 89 Quos mox sublimi maturus protulit auctu,  
 90 quaestor ut Augustis, patri natoque, crearer,  
 91 ut praefecturam duplicem sellamque curulem,  
 92 ut trabeam pictamque togam, meapraemia, consul  
 93 induerem fastisque meis praelatus haberer.  
 94 His ego quaesivi meritum quam grande nepoti  
 95 consul avus lumenque tuae praeluceo vitae.  
 96 Quamvis et patrio jamdudum nomine clarus,  
 97 posses ornatus, posses oneratus haberi ;  
 98 accessit tamen ex nobis honor inclitus. Hunc tu  
 99 effice, ne sit onus, per te ut conixus in altum  
 100 conscendas speresque tuos te consule fasces.

\*        \*  
\*  
\*

PAULINI EPISTULAE

AUSONIO PAVLINVS

EP\_28 v.1 Continuata meae durare silentia linguae  
 2 te numquam tacito memoras placitamque latebris  
 3 desidiam exprobras neglectaeque insuper addis  
 4 crimen amicitiae formidatamque jugalem  
 5 obicis et durum jacis in mea viscera versum.  
 6 Parce, precor, lacerare tuum, nec amara paternis  
 7 admiscere velis, ceu melle absinthia, verbis.  
 8 Cura mihi semper fuit et manet officiis te  
 9 omnibus excolere, adfectu observare fideli.  
 10 Non umquam tenui saltim tua gratia naevo  
 11 conmaculata mihi est ; ipso te laedere vultu  
 12 semper et incauta timui violare figura ;  
 13 cumque tua accessi, venerans mea cautius ora  
 14 composui et laeto formavi lumine frontem,  
 15 ne qua vel a tacito contractam pectore nubem  
 16 duceret in sanctum suspicio falsa parentem.  
 17 Hoc mea te domus exemplo coluitque colitque  
 18 inque tuum tantus nobis consensus amorem est,  
 19 quantus et in Christum conexa mente colendum.  
 20 Quis tua, quaeso, tuis obduxit pectora livor ?  
 21 Quo rumore pium facilis tibi fama per aures

22 inrupit pepulitque animum contraque vetustam  
 23 experta pietate fidem nova vulnera movit,  
 24 laederet ut natis placidum male suada parentem ?  
 25 Set mihi non fictae mens conscia simplicitatis  
 26 nec patris inculti pietas rea respuit omne  
 27 inmeritum et falso perstringi crimine non fert,  
 28 immunis vero : gravius violatur iniquo  
 29 vulnere, tam tenera offensae, quam libera culpa.  
 30 Discussisse jugum quereris me, quo tibi doctis  
 31 junctus eram studiis. Hoc nec gestasse quidem me  
 32 adsero. Namque pares subeunt juga : nemo valentes  
 33 copulat infirmis neque sunt concordia frena,  
 34 si sit compulsis mensura jugalibus inpar.  
 35 Si vitulum tauro vel equum committis onagro ;  
 36 si confers fulicas cycnis et aedona parrae,  
 37 castaneis corulos ; aequas viburna cupressis ;  
 38 me conpone tibi : vix Tullius et Maro tecum  
 39 sustineant aequale jugum. Si jungar amore,  
 40 hoc tantum tibi me jactare audebo jugalem,  
 41 quo modicus sociis magno contendit habenis.  
 42 Dulcis amicitia aeterno mihi foedere tecum  
 43 et paribus semper redamandi legibus aequat.  
 44 Hoc nostra cervice jugum non scaeva resolvit  
 45 fabula, non terris absentia longa diremit,  
 46 nec perimet, toto licet abstrahar orbe vel aevo.  
 47 Numquam animo divisus agam : prius ipsa recedet  
 48 corpore vita meo, quam vester pectore vultus.

## AD EVNDEM

EP\_28B v.1 Ego te per omne quod datum mortalibus  
 2 et destinatum saeculum est,  
 3 claudente donec continebor corpore,  
 4 discernar orbe quamlibet,  
 5 nec orbe longe nec remotum lumine  
 6 tenebo fibris insitum :  
 7 videbo corde, mente complectar pia  
 8 ubique praesentem mihi.  
 9 Et cum solutus corporali carcere  
 10 terraque provolavero,  
 11 quo me locarit axe communis pater,  
 12 illic quoque animo te geram ;  
 13 neque finis idem, qui meo me corpore  
 14 et amore laxabit tuo.  
 15 Mens quippe, lapsis quae superstes artibus  
 16 de stirpe durat caeliti,  
 17 sensus necesse est simul et adfectus suos  
 18 teneat aequae ut vitam suam,  
 19 et ut mori, sic oblivisci non capit,  
 20 perenne vivax et memor.  
 21 Vale domine illustris.

## AUSONIO PAULINUS

EP\_29 v.1 Quarta redit duris haec jam messoribus aestas,  
 2 et totiens cano bruma gelu rigit,  
 3 ex quo nulla tuo mihi littera venit ab ore,  
 4 nulla tua vidi scripta notata manu,

5 ante salutifero felix quam charta libello  
 6 dona negata diu multiplicata daret.  
 7 Trina etenim vario florebat epistula textu,  
 8 set numerosa triplex pagina carmen erat.  
 9 Dulcia multimodis quaedam subamara querellis,  
 10 anxia censurae miscuerat pietas.  
 11 Sed mihi mite patris plus quam censoris acerbum  
 12 sedit, et e blandis aspera penso animo.  
 13 Ista suo regerenda loco tamen et graviore  
 14 vindicis heroi sunt agitanda sono.  
 15 Interea levior paucis praecurret iambus  
 16 discreto referens mutua verba pede.  
 17 Nunc elegi salvere jubent dictaque salute,  
 18 ut fecere aliis orsa gradumque, silent.

AUSONIO PAULINUS

EP\_30 v.1 Quid abdicatas in meam curam, pater,  
 2 redire Musas praecipis ?  
 3 Negant Camenis nec patent Apollini  
 4 dicata Christo pectora.  
 5 Fuit ista quondam non ope, sed studio pari  
 6 tecum mihi concordia,  
 7 ciere surdum Delphica Phoebum specu,  
 8 vocare Musas numina,  
 9 fandique munus munere indultum dei  
 10 petere e nemoribus aut jugis.  
 11 Nunc alia mentem vis agit, major deus,  
 12 aliosque mores postulat  
 13 sibi reposcens ab nomine munus suum,  
 14 vivamus ut vitae patri.  
 15 Vacare vanis, otio aut negotio,  
 16 et fabulosis litteris  
 17 vetat ; suis ut pareamus legibus  
 18 lucemque cernamus suam,  
 19 quam vis sophorum callida arsque rhetorum et  
 20 figmenta vatium nubilant,  
 21 qui corda falsis atque vanis imbuunt  
 22 tantumque linguas instruunt,  
 23 nihil adferentes, ut salutem conferant,  
 24 quod veritatem detegat.  
 25 Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,  
 26 qui non tenent summae caput,  
 27 veri bonique fomitem et fontem deum,  
 28 quem nemo nisi in Christo videt ?  
 29 Hic veritatis lumen est, vitae via,  
 30 vis, mens, manus, virtus patris,  
 31 sol aequitatis, fons bonorum, flos dei,  
 32 natus deo, mundi sator,  
 33 mortalitatis vita nostrae et mors necis.  
 34 Magister hic virtutum,  
 35 deusque nobis atque pro nobis homo,  
 36 nos induendus induit,  
 37 aeterna jungens homines inter et deum  
 38 in utrumque se commercia.  
 39 Hic ergo nostris ut suum praccordiis  
 40 vibraverit caelo jubar,  
 41 abstergit aegrum corporis pigri situm



42 habitumque mentis innovat :  
 43 exhaurit omne, quod juvabat antea,  
 44 castae voluptatis vice,  
 45 totusque nostra jure domini vindicat  
 46 et corda et ora et tempora.  
 47 Se cogitari, intellegi, credi, legi,  
 48 se vult timeri et diligi.  
 49 Aestus inanes, quos movet vitae labor  
 50 praesentis aevi tramite,  
 51 abolet futura cum deo vitae fides.  
 52 Quae, quas videmur spernere,  
 53 non ut profanas abicit aut viles opes,  
 54 set ut magis caras monet  
 55 caelo reponi creditas Christo deo,  
 56 qui plura promisit datis,  
 57 contempta praesens vel mage deposita sibi  
 58 multo ut rependat faenore.  
 59 Sine fraude custos, aucta creditoribus  
 60 bonus aera reddet debitor  
 61 multaque spretam largior pecuniam  
 62 restituet usura deus.  
 63 Huic vacantem vel studentem et deditum,  
 64 in hoc reponentem omnia  
 65 ne quaeso segnem neve perversum putes  
 66 nec crimineris impium.  
 67 Pietas abesse Christiano qui potest ?  
 68 Namque argumentum mutuuum est  
 69 pietatis, esse Christianum, et impii,  
 70 non esse Christo subditum.  
 71 Hanc cum tenere discimus, possum tibi  
 72 non exhibere, id est patri,  
 73 cui cuncta sancta jura, cara nomina  
 74 debere me voluit deus ?  
 75 Tibi disciplinas, dignitatem, litteras,  
 76 linguae, togae, famae decus  
 77 provectus, altus, institutus debeo,  
 78 patrone, praeceptor, pater.  
 79 Sed cur remotus tamdiu degam, arguis  
 80 pioque motu irasceris.  
 81 Conducit istud aut necesse est aut placet :  
 82 veniale, quidquid horum, erit.  
 83 Ignosce amanti, si geram quod expedit ;  
 84 gratare, si vivam, ut libet.

## AUSONIO PAULINUS

EP\_31 v.1 Defore me patriis tota trieteride terris  
 2 atque alium legisse vagis erroribus orbem,  
 3 culta prius vestrae oblitum consortia vitae,  
 4 increpitas sanctis mota pietate querellis.  
 5 Amplector patrio venerandos pectore motus  
 6 et mihi gratandas salvis adfectibus iras.  
 7 Set reditum inde meum, genitor, te poscere mallet,  
 8 unde dari possit. Revocandum me tibi credam,  
 9 cum steriles fundas non ad divina precatus,  
 10 Castalidis supplex averso numine Musis ?  
 11 Non his numinibus tibi me patriaeque reduces.  
 12 Surda vocas et nulla rogas (levis hoc feret aura,

13 quod datur in nihilum) sine numine nomina Musas.  
14 Inrita ventosae rapiunt haec vota procellae,  
15 quae non missa deo vacuis in nubibus haerent  
16 nec penetrant superi stellantem regis in aulam  
17 Si tibi cura mei reditus, illum adspice et ora,  
18 qui tonitru summi quatit ignea culmina caeli,  
19 qui trifido igne micat nec inania murmura miscet  
20 quique satis caelo soles largitur et imbres,  
21 qui super omne, quod est, vel in omni totus ubique,  
22 omnibus infuso rebus regit omnia Christo :  
23 quo mentes tenet atque movet, quo tempora nostra  
24 et loca disponit. Quod si contraria votis  
25 constituat nostri, prece deflectendus in illa est,  
26 quae volumus. Quid me accusas ? Si displicet actus  
27 quem gero agente deo, prius est : fiat reus auctor,  
28 cui placet aut formare meos aut vertere sensus.  
29 Nam mea si reputes, quae pristina, quae tibi nota,  
30 sponte fatebor eum modo me non esse, sub illo  
31 tempore qui fuerim, quo non perversus habebam  
32 et perversus eram falsi caligine cernens,  
33 stulta dei sapiens et mortis pabula vivens.  
34 Quo magis ignosci mihi fas, quia promptius ex hoc  
35 agnosci datur a summo genitore novari,  
36 quod non more meo geritur : non, arbitror, istic  
37 confessus dicar mutatae in prava notandum  
38 errorem mentis, quoniam sim sponte professus  
39 me non mente mea vitam mutasse priorem.  
40 Mens nova mi, fateor, mens non mea : non mea quondam,  
41 set mea nunc auctore deo, qui, si quid in actu  
42 ingeniove meo sua dignum ad munia vidit,  
43 gratia prima tibi, tibi gloria debita cedit,  
44 cujus praeceptis partum est, quod Christus amaret.  
45 Quare gratandum magis est tibi, quam queritandum,  
46 quod tuus ille, tuis studiis et moribus ortus,  
47 Paulinus, cui te non infitiare parentem,  
48 nec modo, cum credis perversum, sic mea verti  
49 consilia, ut sim promeritus Christi fore, dum sum  
50 Ausonii. Feret ille tuae sua praemia laudi  
51 deque tua primum tibi deferet arbore fructum.  
52 Unde, precor, meliora putes nec maxima perdas  
53 praemia detestando tuis bona fontibus orta.  
54 Non etenim mihi mens vaga, sed neque participantum  
55 vita fugax hominum, Lyciae qua scribis in antris  
56 Pegaseum vixisse equitem, licet avia multi  
57 numine agente colant, clari velut ante sophorum  
58 pro studiis musisque suis : ut nunc quoque, castis  
59 qui Christum sumpserunt animis, agitare frequentant,  
60 non inopes animi neque de feritate legentes  
61 desertis habitare locis ; sed in ardua versi  
62 sidera spectantesque deum verique profunda  
63 perspicere intenti de vanis libera curis  
64 otia amant strepitumque fori rerumque tumultus  
65 cunctaque divinis inimica negotia donis,  
66 et Christi imperiis et amore salutis, abhorrent  
67 speque fideque deum sponsa mercede sequuntur,  
68 quam referet certus non desperantibus auctor,  
69 si modo non vincant vacuis praesentia rebus,  
70 quaeque videt spernat, quae non videt ut mereatur

71 secreta ignitus penetrans caelestia sensus.  
72 Namque caduca patent nostris, aeterna negantur  
73 visibus ; et nunc spe sequimur, quod mente videmus,  
74 spernentes varias, rerum spectacula, formas  
75 et male corporeos bona sollicitantia visus.  
76 Attamen haec sedisse illis sententia visa est,  
77 tota quibus jam lux patuit verique bonique,  
78 venturi aeternum saeculi et praesentis inane.  
79 At mihi, non eadem cui gloria, cur eadem sit  
80 fama ? Fides voti par est, sed amoena colenti,  
81 nunc etiam et blanda posito locupletis in acta  
82 litoris, unde haec jam tam festinata locorum  
83 invidia est ? Utinam justus me carpere livor  
84 incipiat : Christi sub nomine probra placebunt.  
85 Non patitur tenerum mens numine firma pudorem,  
86 et laus hic contempta redit mihi iudice Christo.  
87 Ne me igitur, venerande parens, his ut male versum  
88 increpites studiis neque me vel conjuge carpas  
89 vel mentis vitio : non anxia Bellerophontis  
90 mens est nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjunx.  
91 Nec mihi nunc patrii est, ut visa, oblivio caeli,  
92 qui summum suspecto patrem, quem qui colit unum,  
93 hic vere memor est caeli. Crede ergo, pater, nos  
94 nec caeli inmemores nec vivere mentis egentes,  
95 humanisque agitare locis. Studia ipsa piorum  
96 testantur mores hominum ; nec enim impia summum  
97 gens poterit novisse deum : sint multa locorum,  
98 multa hominum studiis inculta, expertia legum,  
99 quae regio agresti ritu caret ? Aut quid in istis  
100 improbitas aliena nocet ? Quod tu mihi vastos  
101 Vasconiae saltus et ninguida Pyrenaei  
102 obicis hospitia, in primo quasi limine fixus  
103 Hispanae regionis agam nec sit locus usquam  
104 rure vel urbe mihi, summum qua dives in orbem  
105 usque patet mersos spectans Hispania soles.  
106 Sed fuerit fortuna jugis habitasse latronum,  
107 num lare barbarico rigui mutatus in ipsos,  
108 inter quos habui, socia feritate colonos ?  
109 Non recipit mens pura malum neque levibus haerent  
110 inspersae fibris maculae : si Vascone saltu  
111 quisquis agit purus sceleris vitam, integer aequae  
112 nulla ab inhumano morum contagia ducit  
113 hospite. Sed mihi cur sit ab illo nomine crimen,  
114 qui diversa colo, ut colui, loca juncta superbis  
115 urbibus et laetis bominum celeberrima cultis ?  
116 Ac si Vasconicis mihi vita fuisset in oris,  
117 cur non more meo potius formata ferinos  
118 poneret, in nostros migrans, gens barbara ritus ?  
119 Nam quod in eversis habitacula ponis Hibera  
120 urbibus et deserta tuo legis oppida versu  
121 montanamque mihi Calagorrim et Birbilim acutis  
122 pendentem scopulis collemque jacentis Hilerdae  
123 exprobras, velut his habitem laris exul et urbis  
124 extra hominum tecta atque vias ; an credis Hiberiae  
125 has telluris opes, Hispani nescius orbis,  
126 quo gravis ille poli sub pondere constitit Atlans,  
127 ultima nunc ejus mons portio metaque terrae,  
128 discludit bimarem celso qui vertice Calpen ?

129 Birbilis huic tantum, Calagorris, Hilerda notantur,  
 130 Caesarea est Augusta cui, Barcinus amoena  
 131 et capite insigni despectans Tarraco pontum ?  
 132 Quid numerem egregias terris et moenibus urbes,  
 133 quas geminum felix Hispania tendit in aequor,  
 134 qua Betis Oceanum Tyrrhenumque auget Hiberus,  
 135 lataque distantis pelagi divortia conplet,  
 136 orbe suo finem ponens in limite mundi ?  
 137 Anne tibi, o domine inlustris, si scribere sit mens,  
 138 qua regione habites, placeat reticere nitentem  
 139 Burdigalam et piceos malis describere Boios ?  
 140 Cumque Marojalicis tua prodigis otia thermis  
 141 inter et umbrosos donas tibi vivere lucos,  
 142 laeta locis et mira colens habitacula tectis :  
 143 nigrantesne casas et texta mapalia culmo  
 144 dignaque pellitis habitas deserta Bigerris ?  
 145 Quique superba tuae contemnis moenia Romae  
 146 consul, arenosas non dedignare Vasatas ?  
 147 Vel quia Pictonicis tibi fertile rus viret arvis,  
 148 Raraunum Ausonias heu devenisse curules  
 149 conquerar, et trabeam veteri sordescere fano ;  
 150 quae tamen augusta Latiaris in urbe Quirini  
 151 Caesareas inter parili titulo palmatas  
 152 fulget inadtrito longum venerabilis auro,  
 153 florentem retinens meriti vivacis honorem.  
 154 Aut cum Lucani retineris culmine fundi,  
 155 aemula Romuleis habitans fastigia tectis,  
 156 materiam praebente loco, qui proxima signat,  
 157 in Condatino diceris degere vico ?  
 158 Multa jocos pateant, liceat quoque ludere fictis ;  
 159 sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,  
 160 ludere blanditiis urentibus et male dulces  
 161 fermentare jocos satirae mordacis aceto  
 162 saepe poetarum, numquam decet esse parentum.  
 163 Namque fides pietasque petunt, ut, quod mala nectens  
 164 insinuat castis fama auribus, hoc bona voti  
 165 mens patris adfigi fixumque haerescere cordi  
 166 non sinat. Et vulgus scaevo rumore malignum  
 167 ante habitos mores, non semper flectere vitam  
 168 crimen habet : namque est laudi bene vertere. Cum me  
 169 inmutatum audis, studium officiumque require.  
 170 Si pravo rectum, si relligiosa profanis,  
 171 luxurie parcum, turpi mutatur honestum,  
 172 segnis, iners, obscurus ago, miserere sodalis  
 173 in mala perversi : blandum licet ira parentem  
 174 excitet, ut lapsum rectis instauret amicum  
 175 moribus et monitu reparet meliora severo.  
 176 At si forte itidem, quod legi et quod sequor, audis,  
 177 corda pio vovisse deo venerabile Christi  
 178 imperium docili pro credulitate sequentem,  
 179 persuasumque dei monitis aeterna parari  
 180 praemia mortali damnis praesentibus empta,  
 181 non reor id sancto sic displicuisse parenti,  
 182 mentis ut errorem credat sic vivere Christo,  
 183 ut Christus sanxit. Juvat hoc nec paenitet hujus  
 184 erroris. Stultus diversa sequentibus esse  
 185 nil moror, aeterno mea dum sententia regi  
 186 sit sapiens. Breve, quidquid homo est, homo corporis aegri,

187 temporis occidui et sine Christo pulvis et umbra :  
 188 quod probat aut damnat tanti est, quanti arbiter ipse.  
 189 Ipse obit atque illi suus est comitabilis error  
 190 cumque suo moriens sententia iudice transit.  
 191 Et nisi, dum tempus praesens datur, anxia nobis  
 192 cura sit ad domini praeceptum vivere Christi,  
 193 sera erit exutis homini querimonia membris,  
 194 dum levia humanae metuit convicia linguae,  
 195 non timuisse graves divini iudicis iras ;  
 196 quem patris aeterni solio dextraque sedentem,  
 197 omnibus impositum regem et labentibus annis  
 198 venturum, ut cunctas aequato examine gentes  
 199 iudicet et variis referat sua praemia gestis,  
 200 credo equidem et metuens studio properante laboro,  
 201 si qua datur, ne morte prius quam crimine solvar.  
 202 Hujus in adventum trepidis mihi credula fibris  
 203 corda tremunt gestitque anima id jam cauta futuri,  
 204 praemetuens, ne vincata aegris pro corpore curis  
 205 ponderibusque gravis rerum, si forte recluso  
 206 increpitet tuba vasta polo, non possit in auras  
 207 regis ad occursum levibus se tollere pinnis,  
 208 inter honora volans sanctorum milia caelo,  
 209 qui per inane levis neque mundi conpede vinctos  
 210 ardua in astra pedes facili molimine tollent  
 211 et teneris vecti per sidera nubibus ibunt,  
 212 caelestem ut medio venerentur in aere regem  
 213 claraque adorato jungant agmina Christo.  
 214 Hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus atris  
 215 sopitum tenebris sterili deprendat in actu,  
 216 tempora sub vacuis ducentem perdita curis.  
 217 Nam quid agam, lentis si, dum coniveo votis,  
 218 Christus ab aetheria mihi proditus arce coruscet  
 219 et, subitis domini caelo venientis aperto  
 220 praerectus radiis, obscurae tristia noctis  
 221 suffugia inlato confusus lumine quaeram ?  
 222 Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri,  
 223 vel praesentis amor vitae rerumque voluptas  
 224 curarumque labor, placuit praevertere casus  
 225 proposito et curas finire superstite vita  
 226 communemque adeo ventura in saecula rebus  
 227 expectare trucem securo pectore mortem.  
 228 Si placet hoc, gratare tui spe divite amici :  
 229 si contra est, Christo tantum me linque probari.

---

ORATIO PAULINI

EP\_32 v.1 Omnipotens genitor rerum, cui summa potestas,  
 2 exaudi, si justa precor. Ne sit mihi tristis  
 3 ulla dies, placidam nox rumpat nulla quietem.  
 4 Nec placeant aliena mihi, quin et mea prosint  
 5 supplicibus nullusque habeat mihi vota nocendi  
 6 aut habeat nocitura mihi. Male velle facultas  
 7 nulla sit ac bene posse adsit tranquilla potestas,  
 8 mens contenta suo nec turpi dedita lucro  
 9 vincat corporeas casto bene conscia lecto  
 10 inlecebras, turpesque jocos obscenaque dicta

11 oderit illa nocens et multum grata malignis  
 12 auribus effuso semper rea lingua veneno.  
 13 Non obitu adfligar cujusquam aut funere crescam,  
 14 invideam numquam cuiquam nec mentiar umquam.  
 15 Adsit laeta domus epulisque adludat inemptis  
 16 verna satur fidusque comes nitidusque minister,  
 17 morigera et conjunx caraque ex conjuge nati.  
 18 Moribus haec castis tribuit deus : hi sibi mores  
 19 perpetuam spondent ventura in saecula vitam.

PAULINUS GESTIDIO

EP\_33 v.1 Sume igitur pastas dumoso in rure volucres,  
 2 quas latitans filicis sub tegmine callidus auceps,  
 3 dum simili mentitur aves fallitque susurro,  
 4 agmina viscatis suspendit credula virgis.  
 5 Tunc referens tenuem non parvo munere praedam  
 6 digerit aucupium tabulis : et primus opimis  
 7 ordo nitet, sensim tenuatus ad ima tabellae.  
 8 Ut minus offendat macies, praelata saginae  
 9 gratia praeventos pingui juvat alite visus.

AD EUNDEM

EP\_34 v.1 Pauperis ut placeat carum tibi munus amici,  
 2 munera ne reputes, quae mittis ditia nobis.  
 3 Nam tibi quid dignum referam pro piscibus illis,  
 4 quos tibi vicinum locupleti gurgite litus  
 5 suppeditat miros specie formaque diremptos ?  
 6 At mihi vix alto vada per saxosa profundo  
 7 rarus in obscura generatur sphondylus alga.  
 8 Hinc te participans bis quinque et bis tibi ternas  
 9 transmisi aequoreo redolentes nectare testas,  
 10 quas viscus praedulce replet bicolore medulla.  
 11 Oro libens sumas, nec vilia dedigneris,  
 12 quae sunt parva modum magno metitus amore.